



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

In incēdio] Nu. 11. Et ī tentatiōe Nu. 20. Et in sepul-
chris cōcupiscentiæ Nu. 11. Et quādo misit &c. Nu. 13.

Contempstis &c. (G. 14.)

Heb. Amara castis os domini dei uestri. Contempti uer-
bi eos arguit. Non possunt non esse rebelles uerbo in-
tus in corde ut cūq; aliud foris simulent qui spiritū dei
non conceperunt. Vide supra cap. 5.

Sic recte oramus pro nobis quando oramus ne deus
intueatur in nostra merita aut iustitias, sed in opus mi-
sericordiæ suæ, in promissionem suam, ne blasphemetur
nomen sanctū eius ab impijs si derelinquat nos in
peccatis nostris qui sepe audierunt nos de misericor-
dia eius gloriari &c. Et ita tota nostra oratio desti-
nabitur ad dei gloriam. Contra hypocritæ orando ut
maxime non dicant tamen sentiunt. Non sum sicut cæ-
teri hominum &c. quorum (ut in psal. dicitur) ora-
tio fiet in peccatum.

CAPVT X.



Hoc caput spiritualibus indiget oculis ut
uideatur. Lex prius fracta instauratur.
Sacerdotum uetus moritur. Sacerdotia
um nouum in Leui indicatur Legem esse
spiritualem clare ostenditur, & gratia dei commen-
datur. Ex quibus fluit fidei charitatisq; prædicatio,
quæ est summa omnium prædictorum.

Videamus mysterium secundarum tabularum. Primæ fractæ sunt quia ad legendum datæ erant, & litera occidit, Nō potuit seruari mandatū nec seruatū est, ideo necesse erat aboleri literam quæ solū precipiebat, nō etiā faciēdi dabat uirtutem, Hierem. 31. Pactū qd' irritū fecerūt Heb. 8. &c. Iubentur ergo secundæ fieri similes prioribus, quia idem uultus, eadē species uidetur esse ubi lex seruatur secundū spiritum & ubi secundū speciem, imò hoc se præferre nititur quasi magis diuinū q̄ primas tabulas dederit deus, secundas fecerit homo, & non respicit hypocrisis q̄ non hoīs est qd' fit uerbo deī iubente. Hic rursum dominus scribit sed iubet poni in arcam ex lignis impuribilibus factā. i. abscondi intra ecclesiam quā illa arca dei habitaculum figurabat ubi propiciatoriū est Christus. Hic iam non legitur litera sed sacramentū in arca seruatur. Quo significabatur futurū ut ministerio prædicatorū uerbi dei scriberet ipse deus legem in corda nostra. De utraq; lege dicit Hieremias, exponens ni fallor mysteriū tabularū &c.

Verba decem.

Vides quod antea monuimus, nihil aliud à nobis requāri. Reliqua fuerūt externæ ordinationes tamē dei sed ad tempus secundū personas & locos &c.

In Moseram,] uel uersus Moseram.

Aaron mortuus.

Illud sacerdotiū quia ab hominibus tenebatur, morie-

batur & indigebat successione, & sicut erat illud sacerdotum ita erant quoque sacrificia & opera illius sacerdotij, alia alijs succedebant & non erat ipsorum eo tempore finis, ut notaretur eorum imperfectio. Sacerdotium autem Christi non moritur & non indiget successione, cuius & omnia opera & sacrificium semel oblatum perfecta sunt & sanctificant in eternum sanctificatos. Qui ergo illa repetenda dicit Christum imperfectio- nis accusat, & qui surrogat ei sacerdotem Christum mortuum fatetur. Quod uero & nos omnes sumus sacerdotes in Christo sumus, qui iubet & nos quidem accedere ad deum sed per ipsum. Petite, inquit, in nomine meo. Sed neque nos indigemus successoribus, nostrum sacerdotium sic manet eternum nostrumque sacrificium sic eternum ut Christi. Quae enim eius sunt nostra sunt omnia &c. Vide ephi. ad Heb. Ex psal. 109.

Separavi tribum leui.

Tribum leuiticam tunc suscepit dominus sibi seorsum pro primogenitis filiorum Israel. Nu. 3. Oblatio primogenitorum hoc significabat offerentibus, ut agnosceret omnia esse dei cui initia offerentur &c. Iam uero primogenita hominum remittebat deus oblata, sed in locum omnium uoluit suos esse leuitas, ut per hoc agnosceret se omnes esse deo oblatos, & se omnes in leuitis esse ministros & sacerdotes dei, quod enim leuitae dabantur deo, pro populo dabantur, quod offerebant, noie

populi faciebant, Vnde dominus omnes uocat regnū
 sacerdotale & gentem sanctam, Exo. 19. quemamodū
 & Petrus nos uocat sine dubio, repetens ex lege. Et hic
 infra legis omnis separatos domino. En, inquit, domi-
 ni dei tui cœlum est &c. Hi ergo nostrū in Christo sacer-
 dotium immo & ueterū illorum significabant. Omnis
 enim pij ab initio mundi uocati sunt ut benedicant do-
 mino, id est, sanctificent nomen eius, & non habeant
 possessionem in terris qui possident dominū, in quo ha-
 bent omnia, & ne obulum quidem possident quem nō
 agnoscant sese ē manu patris dei accipere, neq; adeo
 charum quid habent quod non ipsius uoluntati permit-
 tunt. Sufficit eis q̄ habent dominū. sic David dixit, Ad
 uena ego sum apud te &c. lege Heb. 11. de Abraham,
 Isaac, Iacob &c.

Et nunc Israel &c.

Iste est u. dei cultus timere, diligere & obseruare
 eius uoluntatem toto corde. Ro. 12. Vt sciatis quæ sit
 uoluntas dei &c.

En domini.

Hic locus electionem & gratiā dei cōmendat, de qua
 Ro. 9. Ephe. 1. ut confundatur meritorum prædicatio,
 contra locutus est Moyses cap. superiori.

Circumcise &c.

Vel hoc uno loco disce quā. contemnat Moyses om-
 nia opera legis externa (quemamodū & reliqui pro-
 phetæ) si non fiant spiritu. In omnibus legis operibus

primū & summū erat circūcisio quemadmodū apud nos baptismus. Ergo si quod summum est in carne sine spiritu nihil est, quis aliquid faciet reliqua? Ro. 2. Non qui in manifesto &c. Vides Itaq; Moisen dicere cū prophetis quod Paulus dicit. Quicquid nō est ex fide peccatū est. Fides facit legem, non manus siue opera, lex enim spiritū requirit. Ex toto corde, inquit &c. Ne uero stulte tuo libero arbitrio aliquid arroges cū audis, Circūcidite, & ne induretis &c. scito præceptū esse sicut alia quæ nō implentur tuis uiribus, Accirco infra cap. 30. ostendit unde hanc spiritus circūcisionem accipias dicens, Circūcidet dominus deus tuus cor tuū & cor seminis tui, ut diligas dominū deū tuum, ex toto corde tuo & in tota anima tua ut possis uiuere &c. Porro circūcisionem sepe audis in prophetis qui uocant Incircūcisos labijs, incircūcisos auribus, sed circūcisio cordis, omnem simul cōplectitur circūcisionē spiritualem, quæ plane nihil aliud est quàm mortificatio, ut à carnali sensu & sapientia rationis nostræ paulatim decidamus ut locum habeat uerbū dei quæ est sapientia & iustitia uera &c. Hanc significat scriptura quotiens de corde mūdando loquitur &c.

Quia dominus.] Terret legislator, ne deū cōtēnāt.

Facit iudicium

Pro pupillo & pro uidua, id est, defendit causam eorū.

Amat peregrinum, id est, aduenam, quo significatur

omnis qui est humano auxilio destitutus. Vide quo respiciat Moyses. Qui habent incircūcisum cor & durā ceruicem ad audiendum & suscipiendū uerbū dei, ut fidem non habent ita quoq; non habent charitatem, ut sentiunt contra deū, ita etiam agunt cōtra proximū, quē contēnunt, non adiuuant, ei obloquūtur, iniuriā faciunt, non iuste iudicant, sinunt opprimi, adulantes potentioribus & ditioribus licet iniustis &c. Id quod hic lege prohibet ni uelint dominū habere hostem sibi. Quin agite, inquit, potius sitis peregrinis & indigentibus quē admodū olim cupiistis uobis fieri in terra aliena (quæ est lex charitatis) & ita facite alijs quemadmodū fecit uobis dominus, id quod circumcisi cordis deoq; grati erit officiū, Deus in tua in proximū charitate querit tuum lucrū. Si non dederis egenti, tamen deus dabit ei uictum & uestitū & habebit quo indiget absq; te, & tu maledictioni subiacebis &c.

Et dat ei.] Heb. ut det eis. [Sicut astra.] Gen. 15.

CAPVT XI.

Vult deū cognosci ex operibus eius, multo uero magis ex uerbis eius, & credentibus uerbo benedictionē domini promittit, nō credētibus maledictionē cōminatur. atq; hæc est summa. [In Heb.] Obserua obseruationes & statuta & iura & præcepta &c.